Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 1905

Quelle:
Copyright:

rum a Diabolo et Deo miſſorum jam *Vol.* I. indicatus. Incipit: *Miſit Rex Saul ſeptem apparitores ut raperent Dauid. 1. Reg.* 19. &c. 6) *Sermo de nouem peccatis alienis* in illud: *Ab occultis meis munda me domine, et ab alienis parce ſeruo tuo. Pſ.* 18. Incipit: *Iſta verba ſunt prophete Dauid in quibus duo petit* &c. Valde popularis eſt, et inter alios monet illos, *qui a meretricibus, uel luſoribus, uel ſubtractoribus ſeu* Phothſneydern *cenſum recipiunt.* Sartores indufiorum lineorum intelligi puto a antiquato ſed Ruſticis vel hodie familiari *Pfaid*, goth. *Paida*, iſland. *Paita*, lacinias ſubfurantes, qui etiam dum Plebi noſtrae *Pfaidler* dicuntur; unde Sermonem hunc *Germanis* habitum intelligas. 7) Homiletica varia, Loca *Bernhardi*, Themata Dictionum.

II. *fol.* 81. *Incipit*, ut in calce habetur, *Officium contra grandines et tempeſtates. Sacerdos primo celebret miſſam de beata virgine, Officio vero completo Sacerdos accipiat corpus chriſti cum nola ſonante et cum ſacris indumentis et deferat ſecum circa fruges legensque quatuor Inicia que ſecuntur. ad quatuor plagas ſcilicet meridianum occidentem aquilonem et orientem et primo legat ſanctum euangelium ut ſupra.* Evangeliis ſingulis ſubjunguntur Exorciſmi et Orationes, et in fine adduntur *Benedictiones Agni paſchalis, Carnium, Lardi, Caſei*, et *Panis.*

III. *fol.* 87. *Incipit ſumma Raymundi Proſayca.* Nota eſt *Raymundi de Pennafort* O. P. a. 1256. defuncti *Summa* IV. Libris conſtans, gloſſis illuſtrata ab ejus Sodali *Guilelmo Rhedonenſi*, ut pluribus exequitur *Quetifus* T. I. p. 109. Hanc quidam, quem *Adamum* vocat *Fabricius Bibl. med. Lat.* L. XV. p. 225. in *Compendium* metricum redegit, quod mihi objacet impreſſum *Colon.* 1495. 4. et incipiens:

Summula de ſumma raymundi prodijt iſta.

Et quanquam Redactor hic dicat:

Inter doctores hunc nolumus ire libellum,
Paruis et rudibus quem duximus eſſe legendum;

contrarium tamen ſentit praeſens Pedeſter noſter, qui vult, ita enim orditur, *Vt ponatur ad verba proſayca propter hoc, vt in vna lectione ſimpliciter quilibet aliqualiter loqui ſciens latinum ipſam intelligat abſque omni gloſa et difficili ſupplecione neceſſariorum verborum dimiſſorum in verſibus.* Atque adducto exemplo Bibliorum, Patrum, ICtorum et Medicorum, qui omnes ſoluta oratione uſi ſunt, ridicule in Poetas invehitur tanquam ſolos, *qui ſecundum philoſophum primo Metaph. Multa menciuntur adorantes ydola et ſcribentes*